



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 193. & vltima Vtrum conuenienter assignentur partes potentiales
iustitiæ, hoc est virtutes iustitiæ annexæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

betur, non titulo iustitatis, sed alijs titulis, ideoque non sunt iustitia propria, & stricta.

5. Ad primum patet ex dictis.

6. Ad secundum distinguo minorem: iustitia punitiua, dum punit, in quantum in puniendo non excedit, non dat punito suum, nego: in quantum non deficit, & non remittit poenam, non dat punito suum, sed dat suum alteri, cui per culpam illatum est damnum, & iniuria, concedo minorem: & nego consequentiam. Iustitia punitiua dum punit poena iusta, in quantum non excedit, & non dat poenam maiorem culpa, conseruat illatum ius strictum, quod punitus habet, ne puniatur supra culpam, adeoque dat suum punito: in quantum verò non deficit, & non remittit poenam, non dat suum punito, sed dat suum communitati, & alijs, quibus peccans per culpam intulit damnum, & iniuriam, & qui habent ius strictum ad hoc, vt damnum, & iniuria compensentur compensatione æquali. Ad do, quod si punit, dum punit, compenset damnum, & iniuriam illatam sibi ipsi, per hoc formaliter non operatur ex iustitia stricta, non quia non det sibi ipsi suum, sed quia dat suum, non alteri, sed sibi ipsi: ad iustitiam autem strictam, quæ est virtus ad alterum, requiritur, vt det suum, non sibi, sed alteri.

QVÆST. CXCH. ET VLTIMA.

Virum conuenienter assignentur partes potentiales iustitiæ, hoc est virtutes iustitiæ annexæ?

S. Thom. 2.2. q. 80.

1. **V**identur non conuenienter assignari. Nam non potest explicari, quænam sint partes subiectiua, seu species, & quæ sint partes potentiales, seu potestatiua iustitiæ?

2. Respondeo virtutes cardinales, hoc est principales, non solum diuidi in suas species, quæ vocantur partes subiectiua, ex eo, quia species subiiciuntur generi, sed etiam in virtutes annexas, quæ vocantur partes potestatiua, seu potentiales. Species, seu partes subiectiua virtutis principalis dicuntur, quæ perfecte participant rationem, & definitionem virtutis principalis: & quia ratio, ac definitio iustitiæ est, vt sit virtus dans unicuique suum, hoc est id, quod illi debetur titulo iustitatis; iustitia autem commutatiua, distributiua, & legalis dant unicuique suum in hoc sensu, vt explicatum est quæst. 192. ideo iustitia commutatiua, distributiua, & legalis sunt species, seu partes subiectiua iustitiæ. Partes potentiales, seu potestatiua virtutis principalis, vt docet S. Thomas quæst. 80. art. vltimo sunt, quæ ita in aliquo conueniunt cum virtute principali, vt in aliquo alio deficiant à perfectione illius: sed iustitia est virtus ad alterum, dans alteri æquale, ac debitum titulo iustitatis: ergo om-

nes virtutes, quæ ita conueniunt cum iustitia in hoc, vt sint ad alterum, vt deficiant à perfecta ratione iustitiæ, vel in hoc, quod non dant æquale, vel in hoc, quod non dant debitum titulo iustitatis, sed alijs titulis, conuenienter dicuntur partes potentiales, ac potestatiua iustitiæ, & virtutes iustitiæ annexæ.

3. Virtutes igitur iustitiæ annexæ reduci possunt ad duas classes. In prima classe sunt religio erga Deum; pietas erga parentes, & obseruantia præsertim erga viros virtute præditos, quæ deficiunt à iustitia in hoc, quod non possunt reddere æquale debito. Primò enim religio ita intendit dare Deo cultum, debitum ratione infinitæ excellentiæ, vt non possit Deo dare cultum æqualem debito, iuxta illud Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Secundò pietas ita intendit recompenfare quæ accepit à parentibus, vt non possit reddere æquale: siquidem à parentibus accepimus esse, quod non possumus reddere, vt docet Aristoteles 18. Ethicor. cap. vltimo. Tertiò obseruantia ita intendit dare viris præsertim probis debitum cultum, & honorem, vt non possit reddere æquale. Vt enim docet Aristoteles 4. Ethic. cap. 3. virtus non potest ab homine recompenfari secundum præmium æquale.

4. In secunda classe ponuntur à S. Thoma veritas, gratitudo, vindicatio, liberalitas, amicitia, & affabilitas, quæ deficiunt à iustitia in hoc, quod cum iustitia det alteri id, quod debet titulo iustitatis, ad quod proindè soluendū lex cogit, istæ dant alteri quod debent titulo honestatis, & ad quod soluendum lex non cogit. Et primo quidem veritas dat alijs id, quod illis debetur titulo cuiusdam honestatis se tenentis ex parte dantis, per quæ vnusquisque debet alteri, vt se talem exhibeat in verbis, & pactis, qualis est. Secundo gratitudo dat alteri id, quod illi debetur propter beneficia, quæ contulit. Tertiò vindicatio tribuit alteri id, quod illi debetur ratione malorum, quæ fecit. Præter istas tres virtutes, quæ dant alteri id, quod illi debetur debito magis proprio, & sine quo honestas morum conseruari non potest, liberalitas, amicitia, & affabilitas dant alteri id, quod illi debetur debito minus proprio, quod ita confert ad maiorem honestatem, vt sine eo honestas morum conseruari possit, ideoque magis deficiunt à ratione debiti, & iustitiæ. Videri potest Sanctus Thomas loco citato. Sed hæc sufficit indicasse, quæ profecto longiorem tractationem exigent.

5. De diuisione iustitiæ in naturalem, & supernaturalem, & vniversim de diuisione virtutum moralium in naturales, & supernaturales, egimus supra quæst. 74. 75. & 76. in quibus etiam examinauimus, vtrum actus, & habitus supernaturales virtutum differant ex obiecto formali ab actibus, & habitibus naturalibus.

E I N I S.